Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2273
Quelle:
Copyright:



*fratri nostro carissimo Karolus eadem gratia francorum rex* &c. Petierat *Fridericus* ab eo, ut Oratores ad supra dictam Dietam *Norimbergensem* mitteret Laudat illa pium procurandae pacis ecclesiasticae studium, de proposito tamen Concilio ait: *Hec quidem via, etsi sufficiens validaque esse videatur ad hoc scisma extirpandum, vbi tamen alia placidiorque occurreret, hec haut dubium pocius amplectenda videretur.* Et rursus commendat, *si medio tempore et ante conuencionem prefatam aliquis amicabilis vie modus inueniretur.* Sub finem rogat, *ut quemadmodum Imperialis et Francie Domus ad scismata extirpanda retroactis temporibus coniuncte fuere — et nos eorundem vestigia insequendo pariter procedamus* &c. *Datum apud Salmurium die 7. mensis Octobr.* Sine dubio 1443. En saturam lancem Rerum *Basiliensium.*

*Fol.* 376. *Calixti* III. Pont. *Bullae* III. 1) inscripta: *Indulgentiarum dominante Cruciata.* Nempe contra *Turcas*, capta *CPoli*, data a. 1456. 12. *Julij Pontificat. anno* 2. Incipit: *In his superioribus annis impius nominis christiani persecutor* &c. 2) Contra FF. Mendicantium et Sacerdotum Parochianorum Discordias circa Peccatorum Confessionem et auditionem Missae. Incipit: *Illius licet immeriti vices gerentes* &c. Data a. 1456. XII. *Kal. Septembr. Pontificat. anno* 2. 3) *Bulla cruciate.* Incipit: *Ad summi pontificatus apicem disponente deo nuper assumpti* &c. Data contra *Turcas* a. 1455. *Id. Maij Pontificat. a.* 1. Prima et postrema extant T. XVIII. *Annal. Eccl. Raynaldi* pp. 461. et 435. Media in *Bremondi Bullario Ord. Praed.* T. III. p. 352. Atque in his operosus Codex terminatur.

## DCCCCXXXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 116 Folior. 421. 4. currente calamo, et magnam quidem partem manu M. *Thomae Ebendorfer de Haselbach*, qui aevo illo inter lumina Academiae *Vien.* claruit, conscriptus, et rubro distinctus multa notatu digna complectitur, quae ordine proponam. I. *Considerationes* XVI. inscriptae: *Per Thomam de haselpach in dieta moguntina* 1441. Prima haec *Friderici* III. Imp. *Dieta* destinata erat *Francofurtum*, oratorque ab eo missus *Haselbachius*, sed praehabita est *Moguntia.* Quid ibi praestiterit Noster, non liquere ait Autor ejus Vitae P. I. *Scriptt. Universit. Vien.* p. 152. Neque plus *J. Joach. Müllerus* in *Theatro* vernac. *Comitior. Imp.* T. I. paginas implere contentus *Reformatione* illa, cujus saltem *Declarationes* phrasibus Seculi XVI. Clero catholico iniquis turgent, quamque jam ab Imperatore propositam, jam non propositam, jam ab eo, jam vero a Civitatibus Imperii confectam ait. Sed et aliorum, quos quidem consului, docti, cordatique Scripti nostri nemo meminit, quo *Haselbachius* damna